Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8456
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

te in qua ex humanitate re-
demptor noster dormire potuit
ex divinitate sua immortalis
permanendo vigilavit. Tu. Ip-
se etiam post resurrectionem su-
am ascendens in celum in supe-
rioribus elevatus est ut aqui-
la. Totum ergo simul nobis est
qui et nascendo homo et mo-
riendo vitulus. resurgendo
leo. et ascendendo ad celos
aquila factus est. Sed quia
per hec animalia evangelistas
quatuor et sub eorum specie si-
mul perfectos omnes iam superius
significari diximus restat ut
quomodo unusquisque electorum
istis animalium visionibus exprimitur
ostendamus. Tu. Omnis etenim
electus atque in via dei perfectus
et homo et vitulus et leo si-
mul et aquila est. Homo enim
rationale est animal. vitulus autem
in sacrificio mactari solet. leo
fortis est bestia sicut scriptum
est. Leo fortissimus bestiarum
ad nullius pavebit occursum.
Aquila ad sublimia evolat
et irreverberatis oculis so-
lis radiis intendit. Omnis ita-
que qui ratione vivit homo est
et qui semetipsum ab huius mun-
di voluptate mortificat vitu-
lus. Tu. Quia vero ipse sua
spontanea mortificatione con-
tra omnia adversa fortitudinem
securitatis habet unde scriptum
est. Iustus autem quasi leo con-
fidens absque terrore erit. leo
est. quia vero sublimiter conte-
platur ea que celestia atque eter-
na sunt. aquila est. Igitur quo-
niam iustus quisque per rationem
homo. per sacrificium mortifica-
tionis sue vitulus. per fortitudi-
nem securitatis sue leo. per con-
templationem efficitur aquila
recte per hec sancta animalia signa-
ri unusquisque perfectus potest. Tu.

Evangelium secundum marcum

In illo tempore Dixit i. d. s. Fa-
cilius est camelum per foramen
acus transire quam divitem in-
trare in regnum dei. Et reliqua.
Bede. Si facilius est came-
lum ingentibus membris enor-
mem angustum foramen acus
penetrare quam divitem intrare
in regnum dei. nullus ergo di-
ves intrabit in regnum dei. Et
quomodo vel in evangelio matthe-
us zacheus et ioseph vel in
veteri testamento quamplurimi
divites intraverunt in re-